



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LXXXIX. De domo alterius custodiæ commissa, ex qua res furtô  
subtractæ sunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

riore: partim quia in Deposito, ubi res alteri, in quo specialiter confidimus, traditur custodiae causâ, longè major fides, quàm in Commodato, ubi res alteri cuiuscunque ad usum conceditur, imò exuberantia bonæ fidei, uti Jus loquitur, requiritur in Deposito: un-

de in ordine ad restitutionem rei absque metu compensationis faciendæ attenditur potius bona fides illius, cuius custodiae res conceditur, quàm major utilitas redundans in eum, cui conceditur ad usum.

## TITULUS XVI.

### De Deposito.

#### DECISIO LXXXIX.

De domo alterius custodiae commissa, ex qua res aliqua furtô subtracta sunt.

#### SPECIES FACTI.

Marquardus, postquam prædium rurale sibi comparaverat, urbem cum tota sua familia deseruit ad aliquot menses æstivo tempore, & ad fruendum ruris deliciis ad dictum prædium se contulit. Antequam verò discederet, custodiam domûs suæ Eustachio, vicino suo & veteri amico, commisit. At Eustachius ex quadam incuria domum, quam die quodam lustraverat, reliquit apertam seu non obstratam. Unde factum, ut fur ingressus magnam suppellectilis

partem surripuerit. Errore animadverto, & simul furtô observatô, dolenter scripsit Marquardo, eique totam rei seriem fideliter aperuit, veniamque petiit. Sed Marquardus, hac deprecatione non contentus, post reditum suum actionem Depositi instituit contra Eustachium, quâ tamen is se non teneri credebat, ajens, rem immobilem non cadere sub contractum Depositi, imò, etsi hoc esset, suppellectilem tamen, quæ furtô subtracta est, ad Depositem non spectare.

T t t 2

QUÆ

## QUÆSTIO I.

*An res immobiles possint deponi.*

**N**on posse, tenent Hostiensis in *Summa h. t. n. 3.* Sylv. v. *depositum n. 1.* Richardus *Cod. ad rubr. h. t. n. 4.* Barbosa *da rubr. h. t. n. 6.* Treutl. Struv. Wissenbach. &c. Rationem dant I. Quia in toto Jure nullum reperitur depositum rei immobilis, imò nec mentio illius. II. Quia res immobiles non possunt poni de loco in locum, à qua positione Depositum denominatur, *dictum enim est ex eo, quod ponitur. l. 1. pr. ff. depositi.* Accedit III. Quòd Depositum dicatur esse, *quod custodiendum alicui datum est. l. 1. cit.* Sed res immobilis custodiri non potest, utpote custodiæ incapax, cum fugere, auferri, vel subtrahi nequeat.

Oppositum tamen sustinent plerique alii DD. cum Jo. Harpprecht *ad tit. quib. mod. re contrah. obl. §. 3. Inst. n. 18. seqq.* & apertè declarat Jus Bavaricum *tit. 18. art. 1.* ubi in terminis habet alienæ custodiæ commendari posse *ligent und fahrent Gyth.* Fundamentum petitur ex Jure, quod præsertim §. 3. *cit.* generaliter & indefinitè res deponi posse ait, sine distinctione inter res immobiles. Imò ipsas etiam res immobiles alteri custodiendas commendari posse, satis

clare loquitur *l. 11. ff. de pericul. commod. rei vend. & l. 3. §. fin. ff. de acquir. vel. amitt. possess.* Quòd quòd etiam tradi posse asserat *l. 72. ff. de V. O. & ibi Perez, cum lex dicat fin. dum tradi.*

Parum negotii facessunt objecta, ut quæ facilis est responsio. Ad I. Sufficientem expressionem & mentionem rerum immobilium facit Jus, dum generaliter, indefinitè, ac illimitatè pronuntiat, res Depositum recipere, quando res immobiles alienæ custodiæ committi posse dicit. Ad II. Quamvis res immobiles de loco in locum poni nequeant, & Depositum derivetur à *ponendo*, tamen ex illis constat, etiam res immobiles in locum Juris propriè in custodiam alteri tradi posse, in quo consistit natura depositi: nec ex etymologia aut derivatione nominis bonum ducitur argumentum, quando aliunde constat de rei natura. Ad III. *N. Min.* Quamvis enim inutilis esset custodia, quæ apponeretur rei immobili, ne fugeretur vel auferatur, aut subtrahatur. *l. 3. pr. ff. de act. empt.* custodiri tamen etiam res immobilis potest ab incendio, devastatione, deterioratione, ingratu su hominum suspectorum &c.

## QUÆSTIO II.

An cum re deposita censeantur etiam accessoria habere rationem depositi?

Ratio dubitandi est I. quia Depositum est contractus bonæ fidei: sed in contractibus bonæ fidei ex æquitate convenit extensionem fieri etiam ad accessoria, & rei conjuncta. II. Etiam accessoria suo tempore restitui debent, & peti possunt actione Depositii, quando petitur restitutio rei depositæ. l. 1. §. 24. ff. depositi. Imò, si accessoria perierunt culpâ latâ, vel dolo, Depositarii, peti eorum æstimatione potest: ergo & accessoria censeantur esse deposita. III. Accessoria rei commodatæ habentur pro Commodatis. l. 5. §. 13. ff. Commodati. licet eorum expressa mentio non sit facta: ergo etiam accessoria rei depositæ, licet eorum expressa mentio in contractu non sit facta, haberi debent pro Depositis.

Firmior tamen negandi ratio, vel potius fundamentum habetur ex dispositione Juris in textu l. 1. §. 5. ff. depositi. ubi clavis sic pronuntiat Ulpianus: *Que depositis rebus accedunt, non sunt deposita, ut puta, si homo vestitus deponatur; vestis enim non est deposita: nec, si equus cum capistro; nam solus equus depositus est.* cujus rei causa utique alia non est, quam quòd contrahentes non intendant petere, vel se obligare ad custodiam eorum, quæ rei sunt accessoria tantùm, nisi

& horum specialiter petatur & promittatur custodia.

Rationibus dubitandi sic occurrens, *Primæ* quidem distinguendo *Ma.* Depositum est contractus bonæ fidei, ita tamen, ut objectivè, seu quoad rem depositam sit strictæ interpretationis, eò quòd præsumendum non sit, depositarium, qui ex re deposita, ejusque custodia in se suscepta, prorsus nullum commodum habet, sed merum onus, obligare se voluisse ad custodienda accessoria. *C. Ma.* ut objectivè spectatum depositum non sit strictæ interpretationis propter dictam rationem, & simul propter l. 1. §. 5. cit. *N. Ma.* In aliis contractibus bonæ fidei, qui cedunt in utriusque, vel saltem accipientis utilitatem, aliter utique sentiendum. *Secundæ* negando *Cons.* Aliud enim est, accessoria debere restitui cum re deposita, & peti posse actione Depositii, si existant, utpote connexa rei depositæ, vel eorum æstimationem, si non amplius existant, propter dolum verum, vel præsumptum seu culpam latam Depositarii; & aliud, accessoria esse verum Depositum ratione sui. Restitutionem eorum exigit tum §. 24. cit. tum Jus Naturale, cum sint res alienæ. *Tertiæ* negando paritatem: quippe Commodatum per se tendit præcisè in utilitatem accipientis

tis seu commodatarii, uti & accessoria rei commodatæ, adeoque rectè pro commodatis habentur: e contra Deposita per se tendit præcisè ac unicè in utilitatem Deponentis, & nullatenus in utilitatem depositarii seu depositum accipientis, sed potius in gravamen propter receptam obligationem custodiendi; adeoque merito non censetur se obligasse ad custodiam eorum, quæ rei depositæ solum accedunt, si specialiter eorum custodia non petatur & promittatur.

Quamvis autem hæc ita se habeant in thesi; in præsentem tamen hypothese videtur mihi non sola domus esse deposita, sed etiam tacita conventionione principaliter supellex & mobilia in eadem existentia, ne nimirum ex his aliquid subtrahi contingat; domus enim per se vix ullâ indiget custodiâ, si ritè clausa alteri commendetur, majori autem custodia opus habent utensilia & supellex domestica, ut salva permaneant, nec inde abstrahantur: ferè sicut, si cista mercibus vel pecuniis repleta deponitur, magis res ipsæ contentæ, quàm continens, censentur esse depositæ, imò, nisi specialiter in contractum veniat cista, res contentæ solummodo rationem Depositi habent juxta

Communem ex l. 1. §. 41. ff. de depositis cum intentio deponentis feratur in ferri unicè censetur in res contentas. Interim quia parùm in effectu interest, quidquid dicatur: sive enim supellex domestica in substrato habuerit rationem veri Depositi, sive non, nihil minus tamen eorum, furto subtrahentium, æstimatio actione Depositi peti potest, si Depositarium dolo vel culpâ latâ, quæ in contractibus dolo æquiparatur, & dicitur esse dolo sumptus, furtum contigit: videtur in hac quæstione non multum videndum esse disceptandum, sed, quia Eusebius Depositarium, meo quidem iudicio, commisit culpam latam, non domum ex sua incuria reliquit apertam, ut clepaticibus hominibus parum erit inimpeditus ingressus, & sic cessat diligentiam, quam homines, etiam parùm aliàs diligentes, in rebus propriis custodiendis adhibere solent, adeoque damnum Juridicè imputari intulit Marquardo Deponenti, committi in foro externo posse actione Depositi ad illum rescarciendum; cuius culpam latam præstare teneatur Depositarium. §. 3. Inst. quib. mod. re committitur oblig. l. 1. §. ult. ff. de depositis l. 1. C. eod.

